

De Latini sermonis in copulandis sententiis brevi- loquentiae quodam genere.

Quantopere etiamnunc multi eorum, qui de Latini sermonis ratione grammatica praecipiunt, ad proprietatem eius linguae, ut sibi quidem videntur, explicandam atque illustrandam ellipsium adiumento abutantur, haud facile vel eum praetereat, qui tironibus ex illo genere quaestionum quae tradat suo studio et cura limata velit tradere. Velut ne nunc quidem, ut pauca commemorem, aspernantur ii, qui libros grammaticos conscribunt linguae Latinae (ac de celebratissimis loquer), eam doctrinam, qua rei, negotii, officii, muneris vocabula ad genitivi casus vim explanandam adhibentur in talibus: Negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed omnino dissoluti (Cic. de Off. I, 28, 99); — Cuiusvis hominis est errare; nullius, nisi insipientis, in errore perseverare (Cic. Phil. XII, 2, 5); — facile illi quidem potius obscurantes, quam illustrantes eum genitivi usum, a quo explicando haud scio an debeat etiam omnis de illo casu disputatio ordiri, siquidem vix potest dubitari, quin ad verbum *esse*, sive ipsum illud ponatur, sive alio contineatur verbo, omnis genitivi utendi licentia ac varietas sit referenda, unde iam quae exsistat possidendi notio, ea maxime comprobetur ipsorum pronominum possessivorum simillimo usu, quem plane exhibit hic locus ad comparationem dictionis faciendam insignis: Si enim *est oratoris*, quaecunque res infinite posita sit, de ea *posse dicere*, dicendum erit ei, quanta sit solis magnitudo, quae forma terrae; de mathematicis, de musicis rebus non poterit, quin dicat, hoc onere suscepto, recusare. Denique ei, qui profitetur *esse suum*, non solum de iis controversiis, quae temporibus et personis notatae sunt, hoc est, de omnibus forensibus, sed etiam de generum infinitis quaestionibus *dicere*, nullum potest esse genus orationis, quod sit exceptum: Cic. de Or. II, 15, 66.¹⁾

¹⁾ Sententiam adscripsi plenam, ita demum discentium utilitati satis me consulturum esse ratus, idque in ceteris quoque afferendis, quantum illorum potissimum habita ratio postulare videbitur, curabo.

Jam quo iure eum genitivum, quem qualitatis vocare solent, etiamsi esse vel fieri vel haberi additum sit, tamen non ex illis verbis, sed ex substantivo quodam subaudiendo (hominis vel rei nomen maxime commendant) aptum esse iidem illi doceant, facile vides. Atque imprudentius hoc committere existimandi sunt, quod eadem illa possidendi vi remota, quae supra est visa genitivo vindicanda, maxime id, quo ablativum qualitatis discernant ab genitivo, sibi ipsi praecidere videntur, parum agnoscentes, quam recte ea demum res dicatur ad naturam alterius rei ipsam pertinere, cui haec quasi in possessionem tota concesserit, id quod minime cadit in ablativum, nihil aliud nisi qua quid conditione ad tempus affectum ornatumve menti obversetur, significantem.¹⁾

¹⁾ Acutissime eam, quae ad genitivi vim ac potestatem explicandam pertinet, praeceptionem perpolivit K. E. Chr. Schneider, Vir Doctissimus, in eo libro, quo Graeci quidem sermonis indolem praecipue spectavit, minime tamen ceterarum linguarum comparationem neglexit (Akademische Vorlesungen über griechische Grammatik, gehalten und herausgegeben von K. E. Chr. Schneider, Professor in Breslau. Breslau, 1837), ex quo non possum facere, quin haec (p. 126. et 127) subiiciam: Diese Thätigkeit des abhängigen (Gegenstandes) nun aber kann keine bestimmte und besondere seyn, wie etwa die des Ausgehens und Herkommens von etwas, weil diese in Verbindung mit dem Gegenstande, von welchem der andere ausgeht und herkommt, gedacht, ein transitives Verhältniss, das des Verlassens, begründen und in der Sprache den Accusativus zur Folge haben würde, sondern es ist die allgemeine, allen besondern zum Grunde liegende Thätigkeit des Seyns und dieses Verbum ist es eigentlich, was alle Genitiven bedingt, und dieser Casus enthält den Gegenstand, von welchem das Seyn eines andern als blosse Thätigkeit nicht in der Bedeutung von selbstständigem Daseyn oder Leben, sondern in der, die es als Copula hat, abhängt. In seiner ursprünglichen Bedeutung haben wir demnach den Genitivus in Sätzen wie **Die Erde ist überall des Herrn, Gebet dem Kaiser, was des Kaisers ist, Du bist des Todes, Dieser Mensch ist ganz des Teufels;** welcher Sätze eigentlicher Sinn nicht durch irgend ein von aussen her zu ergänzendes und den Genitiv erklärendes Wort verdeutlicht werden kann, sondern nur durch Wiederholung des Subjektwortes: **Die Erde ist überall Erde des Herrn;** woraus erhellet, dass mit jenem des Herrn seyn nichts anderes gemeint ist, als den Inbegriff aller Prädikate und das Haben derselben von dem Herrn herleiten und mit allem, was man ist, von ihm abhängen; nicht aber, dass man ist und selbstständig oder da ist; denn es kann nicht auch gesagt werden des Herrn daseyn. Von dieser ursprünglichen Bedeutung des Genitivs ist nun die natürliche Folge, dass er vornehmlich zu Substantiven und Adjektiven gesetzt wird. Jenes Seyn nämlich kommt immer nur an einem etwas zur Erscheinung, und an diesem etwas wird dann auch des Seyns Abhängigkeit offenbar. Wenn wir z. B. sagen: **Dieser Mann ist ein Freund der Tugend,** so meinen wir Er als Freund gedacht oder das Freundseyn an ihm ist der Tugend. Er ist des Lebens überdrüssig, Er als überdrüssiger, das Überdrüssigsein an ihm ist des Lebens. Dass wir uns dieser ursprünglichen Bedeutung des Genitivs und seiner Beziehung zum Verbum seyn nur schwer bewusst werden und das blosse Substantivum oder Adjektivum als Ursache desselben ansehen, ist nicht zu verwundern, weil uns eben das Seyn nur an den Prädikaten in ihrer Trennung von der Copula d. h. an den durch Substantiva und Adjektiva ausgedrückten Dingen erscheint.

Quamquam haec et si qua alia,¹⁾ quae habent facillimam explicationem ab ea vi, quam supra diximus primariam esse genitivi, per ellipsis solent explicari, satis et mente perspecta et verbis illustrata exhibent ii libri grammatici, qui his ipsis annis foras dati vix fieri potest quin etiam scholarum publicarum usui se maxime commendatur sint, si quid placuerit etiam omnem rerum vel adumbrationem vel circumscriptiōnē illarum rationi accommodare.²⁾ At alia sunt, in quibus illustrandis vix ab ullo eorum, qui in rebus ad grammaticam Latini sermonis pertinentibus tractandis versantur, ellipsis respui videoas, velut quum *an* particulacē usum explicare conantur, qui est iis locis, ubi pro *aut* illa admissa fere putatur.³⁾ Solet enim ita de his locis praecipi, ut illud pro *nescio*, *an* vel *incertum est*, *an* positum esse dicatur.⁴⁾ Quod quidem ita ut statueretur, vix factum esset, si ab iis locis orsa esset disputatio, ubi ei iudicio, quod modo quis fecisset ipse, eam, quam directa interrogatiōne exquireret ab altero, quicum vel ore vel litterarum communicatione colloqueretur, sententiam oppositam vellet cogitari. Atque haec interpretatio maxime eo iuvari videtur, quod illam dictionem ex quotidiano demum communis sermonis usu in libros receptam esse vel epistolarum consuetudo probat, quibus praecipue tamquam praeſentis cum praeſente colloquiis illa adhaeserit. Velut Atticus facile poterat Ciceroni respondere certe, utrum verisimile esset, his verbis interroganti: Nos hic te ad mensem Januarium exspectamus ex quodam rumore, *an* ex litteris tuis ad alios missis? Nam ad me de eo nihil scripsisti; C. Ep. ad Att. I, 3, 2. Cui simillimus est hic locus: Id et ostendisti quibusdam litteris, ex Epiro, *an* Athenis datis, et in eo ego te adiuvabo; C. Att. VII, 1, 9; — in quo genere si quis velit post ea, quae ubique cum dubitatione proferuntur, signum interrogationis addere, ut per interclusionem illa interrogari videantur, me non habeat adver-

¹⁾ Cf. Kritz. ad Sallust. Cat. 6, 7. de his verbis disputantem: Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat, in superbiam dominationemque convertit, immutato more annua imperia binosque imperatores sibi fecere.

²⁾ Cf. Lat. Schulgrammatik für alle Klassen von Dr. G. Billroth (§. 146, 3); Ann. I.—Lat. Schulgr. von Wilh. Weissenborn; §. 238. — Grammatik der lat. Sprache von Dr. G. T. A. Krüger; qui haec disputat (§. 339) de genitivo qualitatis: Die Eigenschaft wird nämlich als den Gegenstand, dem sie angehört, innehabend, erfüllend, durchdringend gedacht. Der Gegenstand ist daher gleichsam das Besitzthum — der Eigenschaft; cf. §. 343. et 344.

³⁾ Cf. Lat. Gramm. von C. G. Zumpt, Dr. Neunte Ausgabe. Noch müssen wir bemerken, dass auch bei Auslassung des regierenden Verbi *an* oft geradezu wie *aut* steht; §. 354.

⁴⁾ Bei Cicero findet sich anstatt *nescio* *an* oder *incertum est* *an* auch zuweilen bloss *an* und sogar zweimal hinter einander wie *aut*—*aut* gebraucht. Gr. der Lat. Spr. von Dr. G. T. A. Krüger; §. 520, Adn. 5.— quo quidem loco quin vir de grammatica Latini sermonis egregie meritus de ellipsis statuenda vere cogitaverit, minime propter ea dubites, quae adduntur: Bei Tacitus findet sich *an* öfters so gebraucht, wo es immer die Vermuthung des Schriftstellers andeutet und sogar ohne Einfluss auf den Modus des Satzes ist. Cui consentit Handius, haec praecipiens: Interpositum *an* non mutat verborum constructionem, quae, ut incepit, pergit per indicativum: cuius exemplum tamen apud Ciceronem nullum reperitur: Tursell. I. p. 300.

sarium. Nec iis, quae leguntur C. Att. XI, 6, 7: De filio nihil audivi. Sed quaere ex Diochare, Caesaris liberto, quem ego non vidi, qui istas Alexandreas litteras attulit. Is dicitur vidisse; *an euntem? an iam in Asia?* — eandem rationem convenire neges, si modo quae verba hoc loco excipiuntur interrogatione ea satis perpenderis. Neque enim eo tantum, quod usus est scriptor verbo *dicitur*, sed etiam eius ipsius verbi collocatione ea, quae est, sententia talis proditur, ut Cicero ipse, quid statueret de illo rumore, satis indicasse existimandus sit, cui iam facto indicio num Atticus possit dubitationem eximere, ita quaerere pergit, ut prius de eo, quod forte hæsitationi ab initio significatae, deinde quod obortae secundum illam significatam dubitationi possit responderi esse factum, Attici sententiam eliciat, eodem referens etiam ea, quae sequuntur¹⁾: Tuas litteras, prout res postulat, exspecto.²⁾ Quam vero facile illud interrogationis genus potuerit eo converti, ut etiam ei, qui sciret, illum, quicum colloqueretur vel cui audiendi a se scripta recitare sibi videretur, ne ipsum quidem posse obortam aliquam inter dicendum dubitationem tollere, atque ei, qui secum ipso quasi deliberaret, omni paullatim interrogandi vi nudatum frequenteretur, vix est hoc loco quod accuratius explicem. Epistolarum tamen et ceterorum sermonum, quibus alii appellarentur, consuetudo etiam illud praesisse videtur. Illa opima (legatio) ad exigendas pecunias Druso, ut opinor, Pisaurensi, an epuloni Vatinio reservatur; C. Att. II, 7, 3. — Qnum signaretur argentum Apolloniae, non possum dicere eum praefuisse neque possum negare afluxisse, sed non plus duobus, an tribus mensibus; C. Fam. XIII, 29, 4. — Themistocles quidem qnum ei Simonides an quis alius artem memoriae polliceretur, oblivionis, inquit, mallem; nam memini etiam quae nolo; oblivisci non possum quae volo; C. de Fin. II, 32, 104. — Cf. C. Brut. 23, 89; — ubi recte Ellendius alterum *an seclusisse* videtur. Nec bipartitiae interrogations ad illius consuetudinis similitudinem non accedere haec docent: Proxime Pompeium sedebam. Intellexi hominem moveri, utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset, an esse tantas res nostras, quae tam libenti senatu laudarentur; C. Att. I, 14, 3. — Hortensius autem vehementer admirans me quoque, iocansne, an ita sentiens (non enim satis intelligebam), coepit hortari, ut sententia desisterem; C. Acad. II, 19, 63.³⁾

¹⁾ Ferd. Handii (Tursell. I, p. 308) de hoc loco sententia dicens, ex antecedentibus intelligendum esse: *quaere ex Diochare*, vel ideo reliienda est, quod vix Ciceronianum est: *quaere an*; cf. ib. p. 358.

²⁾ Cn. Octavius est an Cn. Cornelius quidam, summo genere natus, terrae filius; is me, quia scit tuum familiarem esse, crebro ad coenam invitat; C. Fam. VII, 9, 3. — quae sic fortasse scribenda sunt: Cn. Octavius est (an Cn. Cornelius quidam?) etc.

³⁾ Ne nostras quidem si quis ita locutus fuerit: Alexander wallfahrtete (ob aus abenteuerlich frommer Eitelkeit? oder um der Volksmeinung willen?) nach den Tempel des Jupiter Ammon; — iure reprehendatur. Cf. Dr. L. Wachlers Lehrb. der Geschichte zum Gebrauche in höheren Unterrichts-Anstalten. Vierte verbesserte und vermehrte Ausgabe; p. 153.

Secuta est reliquae orationis licentia, quae post Ciceronis quidem aetatem existit, maxime apud Tacitum, velut in his: Constat Haterium, cum deprecandi causa palatium introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius, casu an manibus eius impeditus, prociderat; Ann. I, 13. — Siluit Hortalus pavore an avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens; ib. II, 38. — Idem vero scriptor quod etiam indicativum in illo interrogationis genere usurpando ad ipsam particulam *an* retulit, satis inde apparet de obliqua ac per ellipsis quae adiuvaretur interrogatione parum esse cogitatum. — Igitur longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut, nisi praeviniretur Agrippina, pereundum Neroni esset; Ann. XIII, 7. — Idque et Maecenati acciderat, fato potentiae raro sempiternae, an satias capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum est, quod cupiant; ib. III, 30.¹⁾

Nihilominus brevitatis quoddam studium ne in illis quidem non agnoscas, ut non mirum sit, Handium cogitasse de verbo *dicam* intelligendo, quod est additum C. p. L. Man. 19, 57: Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabione dicam, anne Pompeio, an utrique? — et C. de Div. II, 23, 51: Estne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, Deum dicam, an hominem?

Ac multam illam breviloquentiam ex usu frequentiore, ut solent linguae pleraeque, etiam sermo Latinus hausit, ut, si quis de illo genere universo velit disputare, minime iis se possit continere finibus, quibus fere haec opportunitas scribendi continenda est. Neque enim angustis terminis concludi quaedam, quae ab uno illo maxime brevitatis studio profecta sint, vel ea, unde casuum pendet multiplex usus, satis doceat pressius dicendi quaedam consuetudo. *Oleum ceram* quidem (C. de Or. III, 25, 99) vel *sapere ipsum mare* (Sen. C. N. III, 18), ut quaedam ex unius potissimum accusativi usu repetam, quis neget contracta quodammodo esse ex *odorem cerae oleum*, *saporem maris sapere*, siquidem recte illud solet praecipi, omnem verborum intransitivorum cum accusativo coniungendorum morem proficiisci ab ea ratione accusativi usurpandi, quae, quod perhibendum sit effectum esse actione verbo quodam intransitivo nuncupata, id substantivo designari postulet eo, quod sit eadem ac verbum ipsum quodque radice ortum.²⁾

Ea vero, quae in comparationibus omnium maxime frequentatur consuetudo, ut, si cuius rei praedicatum vel attributum cum praedicato vel attributo alterius rei sit conferendum, illud cum ipsa re, cui praedicatum quodque adhaereat, malint comparare, quam cum praedicato, quis nescit, quantam interdum licentiam praeferat?

¹⁾ Cf. Bach, ad Ann. II, 38; qui tamen et ipse ad ellipsis confugiendum putat.

²⁾ Cf. Krüger, Gr. L. L. §. 304. Ratio dictionis reddenda videtur ea, ut statuamus, quod menti ut obversaretur effectum esset, id ipsum effectum dixisse.

Nam illa quidem Ciceroniana: Jam *illa, quae* natura, non litteris *assecuti sunt* (*Romani*), neque *cum Graecia*, neque *ulla cum gente* sunt conferenda; *quae* enim tanta *gravitas, quae* tanta *constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae* tam excellens in omni genere *virtus* in ullis fuit, ut sit cum *maioribus nostris* comparanda? (*C. Tusc. I, 1, 2.*¹⁾). — vix quidquam, quo offendare, habent; multo vero liberiorem usum secutus *Livius* quum alia multa, tum haec scripsit: Adventus eius compressit Etruscos adeo, ut nemo extra munimenta egredi auderet *timorque ipsorum obsidioni* similis esset (*X, 11*). — Verumtamen omnia illa sive breviloquentiae singulari studio, sive universae linguae Latinae naturae atque indoli ita sunt tribuenda, ut quaedam, si non ad ceteras omnes, at certe ad antiquas pertineant linguas, quamquam latissime patent, tamen tanto eorum usum ambitu vix esse dicas, quanto est is, quem in copulanda enunciatorum apodosi cum protasi Romani scriptores plurimum celebraverunt. Atque eum potissimum nunc cur eligerem exemplis illustrandum, ea quoque causa erat, quod a nullo viderem illum locum ita tractatum, ut in conspectu posita esset omnis eius *quae* videretur esse vel origo vel partitio.

Consueverunt enim scriptores Romani, ubi quid in apodosi iis dicendum, respondendum, interrogandum, cum altero denique communicandum vel silentio non praetermittendum est, dici illud *verbo* non indicare, sed id ipsum, quod est dicendum, statim proferre, unde iam fit, ut coniungantur ea, *quae* nihil cohaerent inter se, nisi quid intercedat tertium, quod quidem contineatur eo loco, de quo agitur, dicendi, vel si respiciatur, quod redundare inde velis in eius, quicum colloquare (atque in appellando alias totum illud genus maxime cernitur frequentatum), notitiam, sciendi quodam verbo, quod referatur ad eum, qui audiat, quum illud eius personae accommodetur, qui loquatur; ne multa, pro verbo ponitur ipsum id, quod enunciari significandum fuerit verbo, res ipsa dictione prolata in locum dictionis succedit. Nec illud quin ab ipsa universae linguae Latinae indole ac proprietate repetendum statuas, quidquam recuses. Omnis enim consuetudo sermonis Latini ea est, ut res quaque qualis sit vel appareat, ipsa per se potius ad sensus quasi admoveri soleat, quam qualis suo cuique nomine exhibenda sit, nec magis spectetur id, quod logorum exacta ratio postulare videatur, quam quod veritas sub ipsum aspectum cadens. De quo tamen quum ab aliis copiosius disputatum sit,²⁾ non est, cur ego pluribus disseram; brevi quin commemorarem, facere non potui.

¹⁾ Cf. *quae* ad h. l. disputat Kühner et C. de *Or. I, 4, 15; 44, 197*.

²⁾ Die lateinische Sprache geht auf objective Anschaulichkeit aus und bezeichnet die Sache mehr an sich in ihrer Erscheinung, als nach dem subjectiven Eindruck derselben. Der Römer hat es durchaus mit der Sache zu thun und unterwirft die Gedanken nicht sowohl den logischen Prinzipien als vielmehr den Gesetzen der Anschauung, und strebt vor Allem, das Gedachte in einem anschaulichen Bilde darzustellen. So sieht er mehr auf den Inhalt der Begriffe, als auf ihre Form und behandelt die Wörter als fertigen, in sich selbst gültigen Stoff, wenn dagegen der Grieche in seiner ausdrucksvollen Prosa den Gedanken als reines

→→→→ 7 ←←←←

Atque tetigerunt illum usum loquendi viri doctissimi Ramshorn. Gr. Lat. §. 205, 3, 6; Zumpt. Gr. Lat. §. 772; Krüger. Gr. L. Lat. §. 596, Adn. 3; Heinichen: Lehrbuch der Theorie des lat. Stils; §. III, 7; — quorum quidem nemo rem plenius quod pertractavit, tanto id minus reprehendendum, quod ne qui singulari quidem scriptio tractandam sibi sumpserit, omnem argumenti uberrimi varietatem et copiam videatur persequi posse. Id tamen minus recte Zumptius et Krüger. fecisse videntur, quod unis iis, quae ex *ne* particula finali apta sunt, enunciatis illam licentiam concesserunt, ne locis quidem allatis aliud spectantes, nisi quod alter eam sententiarum complexionem eodem referendam esse dicit, quae ex pronomine *quod* apta esse soleat, pronomen illud esse, non coniunctionem, affirmans.¹⁾

Omiserunt igitur illi eas sententiarum complexiones, quae ceteris coniunctionibus, consilium (ut), caussam (quoniam, quandoquidem, quando, quum), conditionem (si, nisi, sive-sive, nisi forte, nisi vero et si quae aliae sunt sententiarum conformatioes his non tam ipsis verbis, quam vi cognatae), concessionem denique (etsi, etiamsi, tametsi, quamquam, quamvis) designantibus, conficiuntur, quas quidem omnes eandem similitudinem sequi ac *ne*, vel paucula illa probent, quae attulerunt Fabri ad Liv. XXI, 18, 8. et Heinichen l. l. — Horum vero explicatio si quaeramus num etiam aliis linguae Latinae locutionibus adiuvetur ad eandem interpretationis legem ac rationem redigendis, non multum sane circumspiciendum est. Nam sive occurrit illud, quod *non modo* multis locis vix aliam explicationem admittit, nisi eam, qua statuamus dictionem ita esse quasi decurtatam, ut verbum quoddam dicendi surreptum arbitremur,²⁾ quod ipsum saepe etiam dictione suppeditatur, sive illud, quod cerebro quovis genere sententiarum *esse* perhibentur, quae revera dicenda tanitum vel iudicanda sint esse, utrumque adiuvet illam, de qua agitur, verbi eius, quo quid dici aperte significetur, omissi rationem explicandam.

Gebilde des Geistes behandelt und sowohl die Sache in ihrer erhöhten Abstraction ergreift, als auch in mannigfältigen Subsumtionen dem Anschaulichen das Gepräge von Allgemeinheit aufdrückt. Die Rede des Lateiners erscheint unmittelbar aus dem Leben aufgenommen, während bei den Griechen sichtbar wird, dass sie der Region des reflectirenden Geistes entstammt ist. Was andere Sprachen als subordinirt behandeln, erscheint im Lateinischen oft coordinirt, und es wandelt sich auch dadurch Abstraction in Anschauung um. Lehrbuch des lat. Stils von Ferd. Hand. Erst. B. Fünft. Cap. §. 8.

- ¹⁾ *Quod* setzt oft zwei Sätze in Beziehung zu einander, ohne dass der eine dadurch eigentlich ein Nebensatz des andern wird. Hier ist aber *quod* nicht als Conjunction aufzufassen, sondern als relatives Pronomen; Krüger. Gr. L. L. §. 558, Adn. 3.
- ²⁾ Krüger. l. l. §. 540, Adn., coll. §. 542, Adn. 2; Weissenborn. l. l. §. 549, Adn. 1. — Bске ad C. de Leg. III, 11, 25. Comparari potest cum illo Graeci sermonis usus is (*οὐχ ὅτι*), de quo disputat Buttm. Gr. Gr. §. 520, 2, unde orta iam illa similitudo, quae cernitur v. c. in his: *καὶ μολις ἀν πασ ὑπερβολὴν ἀρετῆς οὐχ ὅμοιοι, ἀλλ ὀλίγῳ χειρούς πριθεῖτε;* Thucyd. II, 45, 1.

Atque illud prius quomodo dictum velim, satis pateat ex locis ipsis, quos attulit vel Krüger, vel Weissenborn., diligentius examinatis, ad eiusdemque interpretationis similitudinem etiam is accederet *an* particulae usus, de quo supra disputatum est, nisi aliam ipsa communis sermonis consuetudo monstrasset explicandi viam ac rationem; alterum vero quale intelligi velim, non tam ex iis appareat, ubi dativus personae additus est ad iudicium tantum a quolibet factum designandum, velut in his: Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur, quum *sibi* illum consulem *esse* negaret, *cui* ipse senator non *essem* (C. de Or. III, 1, 4); — quae ipsa verba a Valerio Maximo (VI, 2, 2) diligentius conservata (Non *es*, inquit, *michi*, Philippe, *consul*, quia ne ego quidem *tibi* senator *sum*) Quintilianus sic immutavit, mentem scilicet unam curans: Ego te consulem putem, quum tu me non putas senatorem? (VIII, 3, 89. et XI, 1, 37) —, quam ubi ne id quidem adiunetur est, quo quid significetur ad cuiusque maxime iudicium referri.¹⁾ Pertinent vero hoc imprimis ea enunciata, quibus consequentia quaedam ita continetur, ut, quum ad cogitationem vel dictionem debeat referri, referatur ad facti veritatem.²⁾ In promtu sunt haec: In quo tantus error Accii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit; C. Brut. 19, 73. — Sed quae tanta dementia est, ut in maximis motibus mutationibusque coeli nihil intersit, qui ventus, qui imber, quae tempestas ubique sit?³⁾ C. de Div. II, 45, 94. — Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non *possit*; C. de Or. I, 25, 115. — Ac si iam placet omnes artes oratori subiungere, tolerabilius est, sic potius dicere, ut — *sit* boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse; neque ea, ut sua, possedisse, sed, ut aliena, libasse; ib. I, 50, 218. — Ut enim non efficias, quod vis, tamen, mors ut malum non sit, efficies; C. Tusc. I, 8, 16. — Efficiet enim ratio, ut, quaecunque vera sit earum sententiarum, quas exposui, mors aut malum non *sit*, aut *sit* bonum potius; ib. I, 11, 23. — Itaque haec prima definitio est, ut aegritudo *sit* animi, adversante ratione, contractio; ib. III, 6, 14. — Voluptatis autem partes hoc modo describunt, ut malevolentia *sit* voluptas ex malo alterius sine emolumento suo; ib. 9, 20; cf. 21, 47; V, 25, 71; C. de Or. III, 34, 138;

¹⁾ Cf. Nec tamen mihi sane quidquam occurrit, cur non Pythagorae sit et Platonis vera sententia; C. Tusc. I, 21, 49. — Horum igitur aliiquid animus est; ne tam vegeta mens aut in corde cerebrove, aut in Empedocleo sanguine demersa faceat; ib. 17, 41.

²⁾ In andern Beispielen ist das *ut* als eine Folge andeutend begründet durch eine in mehreren anderen Fällen ähnlich gebrauchte Abkürzung der Darstellung; indem nämlich von *ut* eigentlich ein Verb mit dem Acc. c. inf. hätte abhängig sein sollen, wird jenes Verb ganz weggelassen und der Acc. c. inf. in den von *ut* abhängigen *Coni.* verwandelt, so dass dann eine nur der Idee nach vorhandene Folge gerade so ausgedrückt wird, wie eine factische. Prof. K. Reisigs Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. Herausgegeben mit Anmerkungen von Dr. Friedrich Haase; Anm. 483. — Cf. Krüger. I. I. §. 568, Adn. 5; Zumpt. Gr. L. §. 748.

³⁾ Describuntur error et dementia ita, ut quorum veritas menti atque cogitationi obversaretur, ea per errorem ac dementiam *fuisse* perhibeantur.

C. de Fin. II, 8, 24; C. de Off. I, 40, 142; Tac. Ann. II, 30. — Quae omnia quomodo sint intelligenda, vix dubitare sinunt ii loci haud sane pauci, quibus quum simillimae continentur sententiae altero verbo dictionem vel existimationem significante id, quod praecedit, excipitur. — Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse *definiant*, medium autem officium id esse *dicant*, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit; C. de Off. I, 3, 8. — Sic ille *praecipit*, ut voluptatem ipsam per se, quia voluptas sit, semper optandam expetendamque *dicat*; C. Tusc. V, 33, 95. — Zeno igitur ita naturam definit, ut eam *dicat* ignem esse artificiosum; C. de N. D. II, 22, 57. — Quae autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, *ut id decorum velint esse*, quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali; C. de Off. I, 27, 96. — Apud quem saepe haec oratio usurpata est, ut nihil praeter virtutem *diceretur bonum*; C. Tusc. V, 12, 34. — Haec tamen ita disputant, ut resecanda esse *fateantur*, evelli penitus *dicant* nec posse nec opus esse; Tusc. IIII, 20, 46. — Nec illorum dissimili comparatione haec contineri dicas: Quam sic definiunt, Voluntas *est*, quae quid cum ratione desiderat; C. Tusc. IIII, 6, 12. — et: Haec autem definiunt hoc modo. Invidentiam esse *dicunt* aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti; ib. IIII, 8, 17. — Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, quum eam virtutem esse *dicunt* propugnantem pro aequitate; C. de Off. I, 19, 62.

Atque his quidem quoniam via satis munita videtur ad eum ipsum locum tractandum, qui illustrandus est hac disputatione, ea omnium primum proponenda existimo, quae pleniorum apodosis conformatioem quum exhibeant, eam, quam supra significavi atque linguae Latinae universae quadam proprietate perlustranda adiuvare conatus sum, interpretationem unde repetendam statuamus, etiam planius probent.

Ex locis, qui haud nimis quidem multi reperiuntur, hos assero: Sed ne miremini — *exponam* vobis; C. Verr. II, II, 54, 134. — Ne multa — *scitote* —; ib. III, 25, 62. — Quod in epistola tua scriptum erat, me iam arbitrari designatum esse; *scito* nihil tam exercitum esse nunc Romae, quam candidatos omnibus iniquitatibus nec, quando futura sint comitia, sciri; C. Att. I, 11, 2. — Fenestrarum angustias quod reprehendis; *scito* te Κύρου παιδείαν reprehendere; ib. II, 3, 2. — Ac ne miremini, tantam multitudinem profugisse, quantam ex litteris publicis aratorumque professiōnibus cognovisti; *scitote* tantam acerbitatem istius, tantum scelus in aratores fuisse, — ut homines propter iniurias licentiamque decumanorum mortem sibi ipsi conscient; C. Verr. II, III, 56, 129. — Atque ut omnes intelligent me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum forti viro et sapientissimo homini et magno imperatori debeatur, *dico* etc. Or. pr. I. Man. 8, 20. — Cf. C. Att. XII, 21, 5; Fam. I, 9, 24; V, 20, 7; Verr. II, I, 28, 72; II, 54, 134; III, 25, 62.

Jam vero quod una maxime hoc tempore plane absolvi posse eius quaestionis pars, quae proposita est, ceterarum in aliam scribendi occasionem differri debere copiosior quidem explicatio videtur, eos nunc locos paullo uberiore disputatione perse-

qui placet, qui protasim ex *quod* aptam prae se ferunt. In quo tamen genere priusquam ad cetera percensenda accedam, id vix praetermitti potest, quin, quale illud *quod* sit intelligendum, diudicetur.

Atque constat id quidem, debere *quod*, sive pronomen esse dicis sive coniunctionem, habere, quo excipiatur. Et si quis haec legerit: Quod de Quinti fratri negotio scribis te priore aestate, quod morbo impeditus in Ciliciam non transieris, confidere non potuisse, nunc autem omnia facturum, ut conficias: id scito esse eiusmodi, ut frater meus vere existimet, adiuncto isto fundo, patrimonium fore suum per te constitutum; C. Fam. I, 9, 24. — Quod scribis te audisse in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est; C. Q. Fr. III, 1, 16. — Balbum quod ait mature Romam bene comitatum esse venturum mecumque assidue usque ad Id. Maias futurum, id mili pergratum perque incundum est; Q. Fr. III, 1, 12. — Cf. Att. VII, 3, in.; — facile inde et pronomen illud relativum esse et *id* respondere concludat. Verumtamen ne his quidem locis *id* referendum dicas, si accuratius sententiam examinaveris, nisi ad eam rem, cuius commemorationem *quod* habeat adiunctam. At maxime ego, quamquam certo limite earum vocum, quae quum eadem maneant, diversam induant vim ac potestatem, significaciones vix omnibus locis possis disiungere, propter ipsam illam, quam supra paucis illustravi, pleniorum apodosis conformatiōnem, ut quae vere causae afferendae ratione continetur, coniunctionem illam esse iudico, cui si quid respondere debeat, illud est *id* casu accusativo ita cogitandum, quemadmodum positum est in his: Laetae exclamat: venit! id quod me repente aspexerant (Ter. Hec. III, 3, 8);¹⁾ — quo quidem loco, quomodo ex accusativo pronominis relativi orta sit coniunctionis vis, satis appetat, quamquam ea mihi potius probatur accusativi illius vis, quae mensuram²⁾ quandam, quam quaeque actio ex-

¹⁾ Cf. Prof. K. Reisigs Vorlesungen etc. Adn. 559. s. f.

²⁾ Es soll angegeben werden, wie weit ein Ausspruch gilt, über welchen Theil ein Zustand sich erstreckt; und dies kann nur durch denjenigen Casus geschehen, dessen Amt es ist, in räumlicher Hinsicht die Bahn und in temporeller die Dauer anzudrücken. Über die Casus, ihre Bildung und Bedeutung; von J. A. Hartung p. 63. Der zu Grunde liegende einfache Sinn ist überall: so weit die Sache reicht d. h. so weit sich ihr Wesen, ihre Kraft und Bedeutung erstreckt, — vermöge, gemäß. — Dieser Sinn schliesst den Grund ein; denn im vermöge ist das wegen enthalten, ib. p. 64.

Nec Reisigii interpretationem: Es ist etwas ausgedrückt, was als in der Vorstellung vorausgegeben angesehen wird zur Veranlassung eines Urtheils darüber; also etwas Vorhergehendes in der Vorstellung, etwas Vorausgesetztes ist mit *quod* gegeben, in Betreff dessen Etwas stattfindet und worauf man nur verweist (I. I. §. 330); — quomodo ad eandem viam accusativi referas, nimis haerebis. — *Cum* (sicut weil) temporis dumtaxat eodem spatio duas actiones significans similiter ad alteram ex altera per ipsam temporis congruentiam repetendam quo modo referatur, attingit Weissenb. Gr. L. §. 451. e) Adn. — Cf. Krüger. Gr. L. L. §. 624; Adn. I. Quo pertinet etiam Schneideri verborum *Quorum adventu* (Caes. de b. G. III, 23, 4) interpretatio haec: Huius ablativi ratio eadem est, quae coniunctivi cum coniunctione *cum* tempus significante constructi, ut res non solum tempore, sed etiam efficientia coniunctas demonstret.

pleat, quam ea, quae effectum (nisi etiam illam ipsam mensurae expletionem ad effectum referendam dicas) designat, ut iam omnibus etiam iis locis, qui hue pertinent, duae actiones mensurae aequabilitate comparari significantur, qua minime excludatur designatio causae et effectus inter se respondentium, siquidem causa et effectus maxime dicenda sunt eiusdem mensurae aequabilitate contineri. Accedit vero ad nostram sententiam probandam, quod plurimis locis ea verba, quae adiuncta habet *quod*, vel eo ipso accusativi genere, quo cum solent coniungi, minime carent, vel ea sunt, quae vulgari accusativi ponendi rationi adversantur, h. e. intransitiva. Quare iis verborum complexionibus, quas nobis propositum est accuratius perquirere, aliquid per apodosin pronunciari dicas, quatenus quidque ut pronunciaretur, ea res fecerit, cuius in protasi commemoratio ipsi *quod* subiungitur,¹⁾ cuius cognationem quidem cum pronomine relativo si quando obtineri videas, minime iam mirere.²⁾

Jam vero loci ipsi, quos ex Ciceronis maxime libris collegi, quum ordine quodam digerendi videantur, omnium primum illud occurrit, multo maximam eorum partem ex epistolis repetitam esse. Neque id mirum. Primum enim maxime epistolae in aliis appellandis versantur, quo totum illud loquendi genus fere pertinere supra dixi; deinde facilime fit huic quasi absentium cum absentibus sermoni ut quedam responsiones sint inserendae, quarum rationem conveniat epistolarum licentiae ac breviloquentiae quam paucissimis verbis repetere ab iis, quibus is, qui scribit, ad respondendum fuerit provocatus.

Quare primum ea ipsa commemoranda existimo, in quibus etiam *vero* cum asseveratione ita interponitur, quemadmodum in omni genere responsionum, quo quidem etiam ipsum epistolarum initium pertinet,³⁾ solet interponi. De Lepido et Tullo quod quaeris; illi vero non dubitant, quin Caesari praesto futuri in senatumque venturi sint; Att. VIII, 15, 2. — Quod autem quasi vereri videris, ne mihi tua consilia displiceant; me vero nihil delectat aliud, nisi consilium et litterae tuae; Att. VIII, 9, 1. — Quod scribis te si velim, ad me venturam; ego vero quum sciam, magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse volo; Fam. XIII, 3, 5. — Quod de domo scribis, hoc est, de area; ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta; Fam. XIII, 2, 3; cf. Att. VIII, 7, 2; VIII, 9, 1, s. m.; VIII, 10, 6; XI, 7, 5 et 8; XVI, 11, 2; Q. Fr. II, 9, 1; III, 1, 10.

His autem locis quum maxime responsionis naturam prae se ferre apodosis illa decurtata videatur: ne ceterorum quidem, ubi deest *vero*, alia ratio est.

¹⁾ In wie fern, in wie weit, weil — (in so fern, in so weit, desshalb bemerke ich).

²⁾ Quod me maxime horaris et, quod pluris est, quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino *Mωμω* satisfaciam; moriar, si quidquam fieri potest elegantius; C. Att. V, 20, 6.

³⁾ Mihi vero omnia grata; C. Att. VIII, 1. — Ego vero Apuliam et Sipontum et tergiversationem istam probo; ib. X, 7; cf. XI, 9.

Ac verbum ipsum quaerendi vel interrogandi in protasi positum saepissime illa responsio sequitur. — Quod de agraria lege quaeris; sane iam videtur refixisse; Att. II, 1, 6. — Quod quaeris, quid sit, quod te arcessam, ac simul impeditum te negotiis esse significas neque recusas, quin, non modo si opus sit, sed etiam si velim, accurras; nihil sane est necesse; Att. II, 1, 4. — Quod quaeris, quam diu hic; paucos dies; ib. XII, 40, 5; cf. ib. VII, 8, 4; VIII, 11, 5; XVI, 15, 2; Q. Fr. III, 5 et 6 in. — Eodem vero propter sententiae similitudinem pertinent haec: Quod scribis te *velle scire*, qui sit reipublicae status; summa dissensio est, sed contentio dispar; Fam. I, 7, 10. — Quod me saepe accusas, *cur* hunc meum casum tam graviter feram; debes ignoscere, quum ita me afflictum esse videas, ut neminem unquam nec videris, nec audieris; Att. III, 13, 2.

Aliis locis multis ad dubitationem vel quamvis opinionem prolatam refertur responsio. Quod itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visurus ne me sis in provincia; ea res sic se habet; Fam. III, 5, 3. — Quod videris non dubitare, si consules transeant, quid nos facere oporteat; certe transeunt vel, quomodo nunc est, transierunt; Att. VIII, 15, 3. — Quod me magno animi motu perturbatum putas; sum equidem, sed non tam magno, quam tibi fortasse videor; Att. VIII, 11, in. — Cf. XII, 38, 3; de Or. I, 56, 237; 238; 247; 254. — Significatam vero magis iis, quibus rescribitur, quam nuncupatam opinionem agnoscas his locis: Quod me quodam modo molli brachio de Pompeii familiaritate obiurgas; nolim ita existimes, mei praesidii causa cum illo coniunctum esse; Att. II, 1, 6. — Quod autem laudas me, quod nihil ante de profectione constituam, quam, ista quo evasura sint, video; muto sententiam; Att. XIII, 19, 6. — Cf. VIII, 9, 2; Fam. I, 7, 7 et 10.

Admonitionem deinde factam vel rogationem haec spectant: De eo quod me mones, ut et πολιτωώσ me geram et τὴν ἑσω γραμμήν teneam; ita faciam; Att. III, 8, extr. 4. — Quod me maxime hortaris et, quod pluris est, quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino Μάρκῳ satisfaciam; moriar, si quidquam fieri potest elegantius; Att. V, 20, 6. — Quod me ad meam consuetudinem revocas; fuit meum quidem iam pridem rem publicam lugere; Att. XII, 28, 2. — Quod me admones, ut scribam —; Att. III, 6, 3; — Quod me, ut scribam aliquid, — hortaris —; Att. II, 12, 3. — De pangendo quod me cerebro adhortaris —; Att. II, 14, 2. — Quod me mones, ut ea videam —; Att. XI, 21, 3. — Quod me rogas et hortaris —; Att. III, 7, 1. — Quod me vetas quicquam suspici —; Att. III, 20, 3. — Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam —; Fam. I, 9, 23. — Quod me — cohortaris ad —; Q. Fr. III, 1, 12. — Quod me de versibus faciendis rogas —; Q. Fr. III, 5 et 6, 4. — Narrare vero rem, quod breviter iubent —; de Or. II, 80, 326.

Accedunt denique ii loci, ubi ad relatam ab eo, cui rescribitur, leviterve perstrictam quamvis rem id, quod respondetur, pertinet. — Quod ad me scribis de sorore tua; testis erit tibi ipsa, quantae mihi curae fuerit, ut Quinti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet; Att. I, 5, 2. — Quod ad me scribis, te in Asiam

statuisse non ire, equidem mallem, ut ires; Att. I, 16, 14. — Cf. 20, 2; II, 16, 4; XII, 18, a, 2; XIII, 12, 2; XV, 3, 1; 4, 2; 20, 2; Fam. III, 5, 5; V, 2, 3; ib. 5; ib. 6; VII, 8, 2; XI, 21, 2; ib. 3; XII, 2, 2; Q. Fr. II, 2, 1; III, 1, 12. — De Or. III, 16, 59; De Fin. II, 33, 108. — Quorum haud dissimiles sunt ii loci, quibus qui scribit ipse ea retractat, quae antea attigerat. Quod tibi superioribus litteris promiseram, fore, ut opus exstaret huius peregrinationis; nihil iam magno opere confirmo; Att. II, 6, 1. — Quod scripseram te Furium scripturum; nihil necesse est; Att. 2, 20, 5; cf. III, 13, in.

Quae quum omnia sint orationis directae, ne obliquam quidem ab illo usu alienam fuisse haec doceant: Quod sibi Caesar denunciaret se Haedorum iniurias non neglecturum; neminem secum sine sua pernicie contendisse; Caes. de b. G. I, 36, 6; cf. I, 13, 4; 44, 13; VII, 20.

Accedit vero postremum aliud genus locorum, quod quamquam universum similitudinem sequitur eorum, qui nunc tractati sunt, tamen haud levi momento interdum ab illis discrepat; eorum dico, quorum initium particula *nam* continetur. Atque horum quidem complexio: Nam quod scribis te audire me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi vero mens integra est; Att. III, 13, 2. — Nam quod purgas eos, quos ego mihi scripsi invidisse, et in eis Catonem; ego vero tantum illum puto ab illo scelere abfuisse, ut maxime doleam, plus apud me simulationem aliorum, quam illius fidem valuisse; Att. III, 15, 3. — Nam quod me tam saepe et tam vehementer obiurgas et animo infirmo esse dicis; quaeso, eequod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit? Att. III, 10, 2. — Nam quod rogas, curem, ut scias, quid Pompeius agat; ne ipsum quidem scire puto; Att. VII, 12, 1. — Nam de Appio quod scribis, sicuti de Caesare, te non reprehendere; gaudeo tibi consilium probari meum; Fam. I, 9, 19. — Nam quod scribis mirificam exspectationem esse mei, neque tamen quemquam bonorum aut satis bonorum dubitare, quid sensurus sim; ego, quos tu bonos esse dicas, non intelligo; A. VII, 7, 5. — Nam quod aiunt, nimia resecari oportere, naturalia relinqui; quid tandem potest esse naturale, quod idem nimium esse possit? Tusc. IIII, 26, 57. — Cf. ib. III, 30, 73; Att. VII, 3, 3. — prorsus sic est conformata, quemadmodum ea, quae iam sumus persecuti; nec quid aliud ex locorum propositorum numero, quibus addi possunt plurimi, concludas, quam eximie delectatos esse illa particularum *nam* et *quod* coniunctione scriptores Romanos.

Multo autem liberius coniunctam cum protasi apodosin, quamquam ab initio eodem atque ea, quae modo tractavi, proficiscuntur, haec exhibent: Nam quod rogas, ut respiciam generum meum, adolescentem optimum mihi carissimum; — an dubitas, quum scias, quanti quum illum, tum vero Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehementissime sollicitet? C. Fam. II, 16, 5. — Nam quod aiunt *minima de malis*, id est, ut turpiter potius quam calamitose —; — an est ullum maius malum turpitudine? C. de Off. III, 29, 105. — Nam quod aiunt, quod valde utile sit, id fieri honestum —; imo vero esse, non fieri; ib. 110. — Nam quod inertiam accusas

adolescentium, qui istam artem, primum facillimam, non ediscant; — quae quam sit facilis, illi viderint, qui eius artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant; C. de Or. I, 58, 246. — Ad quos accedunt nonnulla, ubi relativum quodam cum sua sententia pronomen vel eius vicarium participium *nam* particulam sequitur, ut in his: Nam illa, quae recordaris, Lentulo et Marcello consulibus acta in aede Apollinis, — nec causa eadem est, nec simile tempus; Att. XV, 3, 1. — Nam quae a me adhuc dicta sunt, — nec Lyceurgi leges, nec Solonis, neque Seleuci nec nostras duodecim tabulas nec plebiscita desidero; C. de Leg. I, 22, 57. — Nam illa praedicta Veientium, si lacus Albanus redundasset isque in mare fluxisset, Romanam perituram; si repressus esset, Veios, — ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri suburbani, non ad arcem Urbemque retinendam; C. de Div. II, 32, 89. Ita enim pergitur locis illis omnibus, quasi plane absoluta praecesserit sententia, nec aliter fere illam difficultatem sibi expedire posse viri docti visi sunt, nisi ita, ut orationem legitime continuari negarent.¹⁾ Ac mihi quidem, ut nunc paucis significem, quod alio tempore fortasse operae pretium futurum sit ipsa particulae *nam* et origine et vi ac potestate copiosius illustranda explicare accuratius, omnium illorum locorum communis esse haec quaedam, quam apodosis excipiat quasi opprimens, reticentia: *locum non habere, parci esse puto*, eaque ipsa reticentia adiuvari videtur illo usu, quo recte praecipiunt viri docti *nam* ponit, si sententia in transcursu et quasi παρεντέως interseratur;²⁾ siquidem id ipsum, quod παρεντέως interponatur, leve esse facile agnoscas.

Iam quum minime aut propositum sit exponere, quid sit discriminis inter *quod* et ceteras coniunctiones, quae idem prope significant, aut permissum hoc tempore locove omnes pari persequi cura et studio, quibus eadem mihi videatur contineri apodosis conformandae ratio, id unum nunc quidem restare videtur, ut similem ceterarum particularum usum locis allatis breviter indicem.

Atque ceterarum enunciationum causalium nullum genus crebrius excipitur apodosi decurtata, quam *quoniam* coniunctioni quae adhaerescunt, ut in his: Sed *quoniam* census non ius civitatis confirmat ac tantummmodo indicat eum, qui sit census, ita se iam tum gessisse pro cive; iis temporibus, quae tu criminaris ne ipsius quidem iudicio eum in civium Romanorum iure esse versatum, et testamentum saepe fecit nostris legibus, et adiit hereditates civium Romanorum etc.; C. pr. Arch. p. 5, 11. — Itaque *quoniam* discerni placet, quid publico consilio, quid sua sponte imperatores faciant; vobiscum foedus est a Lutatio consule ictum, in quo — nihil de Sanguinis — cautum est; Liv. XXI, 18, 8.³⁾

Quare frequentissima primum ea, ubi una alicuius rei commemoratio facta caussa

¹⁾ Cf. Beier. ad C. de Off. III, 30, 110; Schütz. ad C. de Or. I, 58, 246; Bäke ad C. de Leg. I, 22, 57.

²⁾ Cf. Ellendt. C. Brut. 43, 139.

³⁾ Cf. ad h. I. Fabri.

esse perhibetur loquentibus, cur plura de eadem re vel de ea, quae ad idem genus pertineat, proferant. — Cuius (Alexidis) quoniam mentio facta est, Tironem Patris aegrum reliqui; A. VII, 2, 3. — At quoniam numorum mentio facta est; amabo te, cura, ut cum Titinio, quoquo modo poteris, transigas; Att. II, 4, 1. — Et quoniam huius generis facta mentio est; seditionis omnium post Gracchos L. Appuleius Saturninus eloquentissimus visus est; C. Brut. 62, 224. — Et quoniam Stoicorum est facta mentio; Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, L. Pauli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus et congruens cum ea disciplina, quam colebat; paulo etiam durior, ib. 31, 117. — Sed quoniam attigi vim varietatemque fortunae; non vagabitur oratio mea longius —; C. de Or. III, 3, 9. — Sequuntur ea, ubi, ipsam quidem mentionem factam minus nuncupans, commemoratas quasdam res cur vel commemo-raverit vel ita commemoraverit, quemadmodum commemoraverit, is, qui loquitur, quodammodo excusat. — Apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius, nec quoniam apud Graecos iudices res agetur, poteris adhibere Demosthenem; C. Tusc. I, 5, 10. — Oratorem autem, quoniam de eo quaerimus, equidem non facio eundem, quem Crassus; C. de Or. I, 49, 213. — Quamquam, quoniam multa ad oratoris similitudinem ab uno artificio sumimus, solet idem Roscius dicere se, quo plus sibi aetatis accederet, eo tardiores tibicinis modos et cantus remissiores esse facturum; ib. 60, 254. — In obsequio autem — quoniam Terentiano verbo lubenter utimur — comitas adsit; C. Lael. 24, 89; cf. C. de Or. I, 15, 68; III, 43, 171.

Quam ipsam excusationem postpositam in his agnoscimus: Summum enim bonum et malum vagiens puer utra voluptate diuidebit, *stante an movente?* — quoniam, si diu placet, ab Epicuro loqui discimus; C. de Fin. II, 10, 31. — Qui fortis est, idem est *fidens*; quoniam *confidens* mala consuetudine loquendi in vito ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est; C. Tusc. III, 7, 14. ¹⁾ — Sextus hic ex Alcumena, quem Jupiter genuit, sed *tertius* Jupiter; quoniam, ut iam docebo, plures Joves etiam accepimus; C. de N. D. III, 16, 42.

Accedunt denique ea, ubi is, qui loquitur, cur quid eo ipso loco, quo de eo dicit, adiungat superioribus, cur denique eam potissimum, quam sequitur, dispositionem rerum, sequatur, rationem quandam reddit sive praeponens sive postponens. — Sed utilitatum comparatio, quoniam hic locus erat quartus a Panaetio praetermissus, saepe est necessaria; C. de Off. II, 25, 88. — De vestri imperii dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meae, videte, quem vobis animum suscipiendum putetis; C. Or. p. l. Man. 4, 11. — Jam vero ea, quae invenerit, qua diligentia collo-cabit? — quoniam id secundum erat de tribus; C. Or. 15, 50. — Nec solum componentur verba ratione, sed etiam finiuntur; — quoniam id indicium esse alterum aurium diximus; ib. 49, 164; cf. C. de Fin. V, 8, 21; Or. pr. l. Man. 8, 20.

¹⁾ Moserus ad h. l. recte quidem: Ante *quoniam* repeate intelligendo: *fidens dico*; nullam tamen ille dictionis rationem reddit.

*Quandoquidem similem usum habet in his: Hoc loco Brutus, quandoquidem tu istos oratores, inquit, tantopere laudas; vellem aliquid Antonio, praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere; C. Brut. 44, 163. — Quandoquidem est apud te virtuti honos, ut beneficio tuleris a me quod minis nequisti; trecenti coniuravimus principes iuventutis Romanae; Liv. II, 12. — Habebit igitur linguam deus et non loquetur; — quaeque procreationis causa natura corpori affinxit, ea frustra habebit deus, nec externa magis, quam interiora, cor, pulmones, iecur, cetera, quae, detracta utilitate, quid habent *venustatis*? — quandoquidem haec esse in deo propter pulchritudinem vultis; C. de N. D. I, 33, 92 et 93. — Quo accedit quando hoc loco Virgilii: Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere Heu nimium de te vates, Misene, locuta est; Aen. VI, 187—189.*

*Quum causale quod dicunt cum coniunctivo coniunctum omnibus locis quoniam ita usurpat, ut, unde iudicij¹⁾ faciendi ratio quaedam sit repetenda menti id obversari significet (Bei der Erwägung —) eius, qui quid iudicij cum altero communicet, facile putas plerumque, praeterquam ubi verba ipsa iudicium significantia sequentur in apodosi, ut in his: Quum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas; venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem (C. de Off. I, 36, 130); — iudicij illius ipsis verbis nominandam significantem cessisse eius, quod contineretur illo iudicio vel etiam quod inde profectum esset, simplici prolationi, ut v. e. hoc: „Suscepisti onus praeterea grave et Athenarum et Cratippi, ad quos quum tamquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est,” (C. de Off. III, 2, 6); — dictum videatur pro: „— quum —, hoc indico, hoc indicandum est etc.;” et hoc: „Zenonem, quum Athenis essem, audiebam frequenter” (C. de N. D. I, 21, 59); — pro: „Zenonem —, audiendum indicabam“ — quod posterius non magis vetet illud etiam factum, quod faciendum esset indicatum, putari, quam unius voluntatis significatio vetat de facto eo cogitari, quod voluntate spectatum fuerit, in his: Quum statuisse scribere ad te aliquid hoc tempore, et multa posthac, ab eo ordiri volui maxime, quod et aetati tuae esset aptissimum et auctoritati meae (C. de Off. I, 2, 4).²⁾ — At in hunc locum magis ea cadunt, ubi quid in apodosi quam maxime memorabile esse propter illam ipsam rem, quae protasi continetur, quum dicendum sit, non dicatur tamen illud, sed ipsa tantum commemoratione significetur, h. e., ubi *quum* concessivum modum, quem dicunt, adjunctum habet. Ex quo genere sufficient haec: Cumque tu solem, quia solus esset, appellatum esse dicas; soles ipsi quam multi a theologis proferuntur; C. de N. D. III, 21, 54. — Nam quum omnis haec quaestio de finibus et quasi de extremis bonorum et malorum ab eo proficiatur, quod dicimus naturae esse aptum et accommodatum quodque ipsum per se primum appetatur; hoc totum et ii tollunt,*

¹⁾ Cf. Krüger, I. I. §. 625, Adn. I.

²⁾ Cf. C. Tusc. I, 1, 1.

qui in rebus iis, in quibus nihil, quod aut honestum aut turpe, sit, negant esse ullam causam, cur aliud alii anteponatur —; et Herillus, si ita sensit, nihil esse bonum praeter scientiam, omnem consilii capiendi causam inventionemque officii sustulit; C. de Fin. V, 8, 23. — De hominum genere aut omnino de animantium loquor; quum arborum et stirpium eadem paene natura sit; ib 11, 33. — Tum ille: Laudavisse mihi videris nostram rempublicam, cum ex te non de nostra, sed de omni republica quaesisset Laelius; C. de Rep. II, 38. — Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, quum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? C. Or. in Cat. I, 7, 16. — Quamquam utriusque quum multa non probo, tum illud in primis, quod quum in rerum natura duo quaerenda sint, unum, quae materia sit, ex qua quaeque res efficiatur, alterum quae vis sit, quae quidque efficiat; de materia disseruerunt, vim et causam efficiendi reliquerunt; C. de Fin. I, 6, 18. — Nam quum apud Graecos antiquissimum sit e doctis genus poetarum, siquidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo; serius poeticam nos accepimus; C. Tusc. I, 1, 3. — Hac divisione, quum praeterire aliquid maximum vitium in dividendo sit, duo praetermissa sunt; C. de Off. I, 3, 10. — Quibus quidem locis postremis tribus etiam tempus verbi coniunctivo positi attendendum est vix alio referri posse, nisi ad eam, quae ipsi loquenti ex cuiusque rei, ad quam apodosis pertineat commemorandam cum altera, quae protasi contineatur, simul factae aestimatione per ipsam tantum rei prolationem quasi intercepta etiam nunc, quum proferat illam, oriatur, offensionem quandam.¹⁾

Quamquam, quamvis, etsi, etiamsi, tametsi saepissime antecedentem habere apodosim atque eam quidem, ut, si velis dictionem explere, praemittendum esse dicas: *Atque haec dicenda putavi, haec ita se habent*, vel iis locis satis appareat, ubi interrogatio quaedam, quae tamen etiam ipsa sua careat significatione quasi prænuncia, antecedentia corrigens modum illis quasi imponit neque pluribus verbis rem propositam consequendam esse significat. — Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum? *Quamquam quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum?* C. Cat. M, 19, 67. — Quibuscum conferenda sunt ea, ubi ipsum etiam verbum dicendi vel cognatum quoddam ita sequitur, ut restringat ea, quae dicta modo fuerint: *Quamquam quid loquor?* C. Or. Cat. I, 9, 22. ²⁾ — *Quodsi tibi persuasum est, — reliquum est, ut tute tibi imperes; quamquam hoc nescio, quomodo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet,*

¹⁾ Quod ratio habeat in illis generalem veritatem, eam non unam causam esse illius temporum discrepantiae, multi loci docent, quibus *quum* non ad concessionem, sed ad efficientiam refertur, in simili genere aliter tamen comparati, qualis hic est: Et quum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, continetur; hoc mihi Latinis litteris illustrandum putavi; C. Tusc. I, 1, 1. Cf. Kühner. ad h. l.

²⁾ Ibi enim tota fere, quae praecedit, oratio pro apodosi haberi potest, certe inde a §. 20. haberi debet. Cf. Haenisch: *De quamquam particula*. Progr. Gymn. Ratib. 1832. p. 8.

alter pareat; C. Tusc. II, 20, 47. — Est profecto animi medicina, philosophia, cuius auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris; omnibusque opibus et viribus, ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est. Quamquam de universa philosophia satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio; ib. III, 3, 6. — Quamquam hoc quidem nimis saepe (sc. dicimus); sed eo (sc. saepe dicimus), quod in hoc inest omnis animi contractio ex metu mortis; ib. I, 37, 90¹⁾; cf. I, 37, 89. In apodosi vero ipsa, si qua sequitur, etiam laxius interdum est orationis vinculum, velut in his: Quamquam enim vereor, ne nimius in hoc genere videar; tamen omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, quod in pueritia facilissime se arbitrentur naturae voluntatem posse cognoscere; C. de Fin. V, 20, 55. ²⁾

Si, sin, sive — sive, nisi particularum similem usum his illustrasse locis sufficiat: Sed si haec maior esse ratio videtur, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendendi; est etiam illa Platonis vera et tibi, Catule, certe non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri; C. de Or. III, 6, 21. — Si auctoritates patronorum in iudiciis valent; ab amplissimis viris L. Cornelii caussa defensa est; C. pro Balb. in. Cf. Liv. praef. et XXII, 59, 2. — Quare ne illa quidem etiam licentius dicta, quae est epistolarum consuetudo: Si vos valetis; nos valemus (C. Fam. XIII, 14, 1; cf. XIII, 5, 1) — quidquam difficultatis habeant, si plenius dicendum fuisse reputes: Si vos valetis, unum hoc mihi, quod eodem spectet, vobiscum communicandum, nos valere. — Si quis requirit, cur Romae non sim; quia discessus est; C. Att. XII, 40, 3. — Indidem formula *si quaeris* exstisit frequentissima: Sed iudicium si quaeris, quale fuerit; incredibili exitu; C. Att. I, 16, 3. — Evidem si, quid ipse sentiam, quaeris; nec cur ille tantopere contendat, video, nec cur tu repugnes; Fam. XIII, 1, 4. — Itaque si causam quaeris absolutionis —; egestas iudicium fuit et turpitude; Att. I, 16, 2. — Et ea res, si quaeris, ei magno honore fuit; C. de Off. III, 20, 80. — Tertius est Catulus, quartus, si etiam hoc quaeris, Hortensius; Att. I, 13, 2. Quibus adiungenda videntur ea, ubi singula vocabula posita cur posita sint, excusatur quodammodo: Praeclarum illud est et, si quaeris, rectum quoque et verum, ut eos, qui nobis carissimi esse debeat, aeque ac nosmet ipsos amemus; C. Tusc. III, 29, 73.³⁾ — Atque ille non mediocri cupiditate arripuit *imperium*, si illud imperium esse potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitae, nullo publico consilio deferrebatur; C. pr. Lig. 1, 9. — Itaque mihi maximae curae est non de mea quidem vita, cui satisfeci vel aetate, vel factis, vel, si quid etiam hoc ad rem pertinet, *gloria*; sed me patria sollicitat; C. Fam. X, 1, 1. — Cf. C. de Rep. I, 28. — Tusc. I, 11, 24. — de Or. II, 38, 157. — Or. pr. Planc. 29, 70. — Or. pr. S. Rosc.

¹⁾ Cf. ad h. l. Moser. et C. de Off. III, 22, 86. — Verr. II, V, 31, 81. — de Or. III, 24, 95.

²⁾ Cf. de hoc loco quae disputat Kühner.

³⁾ Cf. Ramshorn. Gr. L. §. 193, 9, adn. 2.

Am. 46, 134.¹⁾ — Quo loco si tibi hoc sumis, nisi qui patricius sit, neminem bono esse genere natum, facis, ut rursus plebes in Aventinum sevocanda videatur; *sin autem* sunt amplae et honestae familiae plebeiae, et proavus L. Murenae et avus praetores fuerunt etc.; C. Or. pro Mur. 7, 15; cf. ib. 14, 31. — *Quodsi* studia Graecorum vos tanto opere delectant, sunt alia liberiora et transfusa latius, quae vel ad usum vitae, vel etiam ad ipsam rempublicam conferre possumus; C. de Rep. I, 18. — *Quodsi* illa sollemnis comitiorum precatio consularibus auspiciis consecrata tantam habet in se vim et religionem, quantam reipublicae dignitas postulat: idem ego sum praecatus —; C. pr. Mur. I, 1, 1. — Nam, *sive* quem antiqua studia delectant; plurima est et in omni iure civili et in pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies; — *sive* quis civilem scientiam contemplatur —; totam hanc — XII tabulis contineri videbit; C. de Or. I, 43, 193. — Ceterum *nisi* nobis plus insto nostra placet causa, non aliud unquam minus negligendi vobis, quam nos, in hostium potestatem venerunt; Liv. XXII, 59, 2. — Ex oratione obliqua haec sunt repetita: *Si ex eo*, quod aut inter se loquantur aut suclamationibus apud concionantem imperatorem significant, quid sentiant, coniectandum sit; palam vociferatos esse, aut imperatorem in provincia retenturos, aut cum eo in Italiam venturos esse; Liv. XXXX, 36; — ex narratione haec: *Sin autem* ille fureret, vehemenfer hominem contemnebat; Att. VII, 8, 4. — *Quodsi* tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores complectarentur; quaerebat, cur de prooemiis et de epilogis et de huiusmodi nugis — referti essent eorum libri; de civitatibus instituendis, de scribendis legibus, de aequitate, de iustitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus, littera in eorum libris nulla inveniretur; C. de Or. I, 19, 86.

Nisi, nisi forte, nisi vero et quasi, quasi vero, proinde quasi particulae similiter atque concessivae antecedentem saepe habent apodosin, quae tamen qualiscunque illarum est ex sententiarum perpetuitate vis, satis illa quidem iam explicata a multis viris doctis,²⁾ interdum tota, quae praecedit, oratione ita continetur, ut facile inde habeant alterae, quo referantur: *Haec ita dicenda vel iudicanda, alterae: Haec ita dicuntur vel iudicantur.* Ex locis plurimis³⁾ pauci afferendi videntur: Non viribus aut velocitatibus aut celeritate corporum res magnae geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia; quibus non modo non orbari, sed etiam angeri senectus solet. Nisi forte ego vobis, qui et miles et tribunus et legatus et consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor, cum bella non gero; C. Cat. M. 6, 18. — Denique isto bono utare, dum adsit; cum absit, ne requiras: nisi forte adolescentes pueritiam, paulum aetate progressi adolescentiam debent requirere; ib. 10, 33; cf. C. de Leg. I, 1, 2. — Hic Sulpicius: Me quidem, inquit, recte mones, idque

¹⁾ Cf. T. Wopk. Lect. Tull. II, I, p. 169.

²⁾ Cf. Beier. ad C. de Off. I, 33, 120 et III, 9, 39; Hand. Tursell. Vol. II, p. 737, 12 et 13.

³⁾ Cf. Ramsh. Gr. L. §. 193, 9; Adn. 4, f; et adn. 5.

mihi gratum est; sed ne te quidem, Antoni, multum scriptitasse arbitror. Tum ille: Quasi vero, inquit, non ea praecipiam aliis, quae mihi ipsi desint; C. de Or. II, 23, 97. Quid? si, inquit Julius, adsentior Antonio dicenti nullam esse artem salis? Hic quum Sulpicius reticisset, Quasi vero, inquit Crassus; horum ipsorum, de quibus Antonius iamdiu loquitur, ars ulla sit; C. de Or. II, 57, 232. Ante vero Marsicum bellum, quod clipeos Lanuvii, ut a te dictum est, mures rossissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt. Quasi vero quicquam intersit mures, diem noctem aliquid rodentes, scuta, an cribra corroserint; C. de Div. II, 27, 59. Quamobrem neque sapientis esse accipere habemas, quum insanos atque indomitos impetus vulgi cohibere non possit, neque liberalis, cum impuris atque immanibus adversariis decertantem, vel contumeliarum verbera subire, vel exspectare sapienti non ferendas iniurias. Proinde quasi bonis et fortibus et magno animo praeditis ulla sit ad rem publicam adeundi caussa iustior, quam ne pareant improbis neve ab iisdem lacerari rempublicam patientur, quum ipsi auxilium ferre si cupiant, non possint; C. de Rep. I, 5. Ad eandem similitudinem dictionis accedit *ut si* in his: Sed urgetis identidem hominum esse istam culpam, non deorum. Ut si medicus gravitatem morbi, gubernator vim tempestatis accuset; C. de N. D. III, 31, 76. Quare ceterae ellipses, quibus maxime alterum genus explicari solet horum locorum, qualis est ea, quam vel Beier. ad Cic. de Off. III, 9, 39: *Agunt, est vero perinde,* vel Wyttbach. ad Cic. de N. D. III, 31, 76, ¹⁾ *idem facitis* statuit esse, minus iam videntur opus esse.

Ut et ne denique quum illam, quam hac disputatione ut explicemus operam damus, consuetudinem omnium maxime frequentatam prae se ferant, ita fere partitum habent usum, ut primum illa ponatur, ubi quid eum, quicum colloquamur, planius, quale sit, perspicere, haec, saepe adiunctum habens *forte*, ubi quid eum non ignorare parumve recte mente percipere ita velimus, ut id ipsum nos velle significantum videatur diligentius.—Ut advertatis animum, quam sapienter iam reges hoc nostri viderint, tribuenda quaedam esse populo, — ne insignibus quidem regiis Tullus, nisi iussu populi, est ausus uti; C. de Rep. II, 17. — Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo etc.; C. Cat. Mai. 17, 59. — Etenim, ut simul P. Africani quoque humanitatem et aequitatem cognoscatis, oppidum Himeram Carthaginienses quondam ceperant; C. Verr. II, II, 35, 86. — Imo ut, quid hac pugna actum sit, scias, die quinto, inquit, victor in Capitolio epulaberis; Liv. XXII, 51, 2. — Ut frontem ferias, sunt, qui etiam Caesonium putent; Att. I, 1, 1. — Sed tamen, ut te de republica consoler, non ita, ut sperarunt mali, tanto imposito reipublicae vulnere, alacris exultat improbitas in victoria; Att. I, 16, 7. — Sed ut hic, qui intervenit, me intuens, ne

¹⁾ Cf. ed. Moser.

ignoret, quae res agatur; de natura agebamus deorum; C. de N. D. I, 7, 17. — Sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legavit; Att. XV, 11, 4. — Ne genus belli neve hostem ignoretis, cum iis est vobis, milites, pugnandum, quos terra marique priore bello vicitis; Liv. XXI, 40, 5. — Ac ne me existimaris ad manendum esse propensiorem, quod plura in eam partem verba fecerim; potest fieri, quod fit in multis quaestionibus, ut res verbosior haec fuerit, illa melior; Att. VIII, 3, 6. — His ego tamen diebus, ludis scenicis, ne forte videar tibi non modo beatus, sed liber omnino fuisse; diripi me paene in iudicio Galli Caninii, familiaris tui; Fam. VII, 1, 4. — Ne diutius pendeas, palmam tulit; Att. III, 15, 6; cf. Or. Verr. II, II, 73, 181; de Fin. III, 14, 136; de Or. II, 12, 51; 32, 142.

In quo genere verbum *mirandi* quomodo factum sit ut plane adhaeresceret particulae *ne*, facillime si, quid proficiisci soleat ab rei cuiusque cognitione parum explicata, attenderis, perspectum habebis. Quo pertinent haec: Ac ne illud mirere, cur, quum ego antea significarem tibi per litteras me sperare illum in nostra potestate fore, nunc idem videar diffidere; incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatior et in hac iracundia obfirmatior; Att. I, 11, 1. — Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur —; ne nos quidem huic uni studio penitus unquam dediti fuimus; C. pr. Arch. p. 1, 2. — Ac ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari praesertim in rebus alienis; magna vis est earum sententiarum atque eorum locorum, quos agas tractesque dicendo, nihil ut opus sit simulatione et fallaciis; C. de Or. II, 46, 191. — Et ne hoc in causis — accidere miremur, —; sed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse videatur, quid potest esse tam fictum, quam versus, quam scena, quam fabula? ib. 192. et 193. Illud autem ne quis admiretur, quoniam modo haec vulgus imperitorum in audiendo notet; quum in omni genere, tum in hoc ipso magna quaedam est vis incredibilisque naturae; ib. III, 50, 195. — Sed ne quis sit admiratus, cur —; alia est etc.; de Off. II, 10, 35. — At ne mirere unde —; lex sumptuaria — mihi fraudi fuit; Fam. VII, 26, 2. — Ac ne forte mirere —; illa nos cupiditas incendit; Fam. V, 12, 9.

Postposita sententia finalis in his est: Qui pro testimonio dixit, te, quum inspicendum poposcisses, vulso emblemate remisisse; ut intelligatis, in homine intelligentiam esse, non avaritiam, artificii cupidum, non argenti fuisse; C. Or. Verr. II, III, 21, 46. — Hoc crimen est; ut intelligas, non ex aestimatione neque ex eternis denariis pendere crimen, sed ex coauctione annonae atque existimationis; ib. III, 82, 189. — Is fuit princeps; ne tu forte aliquem nostrum putas; Att. I, 13, 3. — Due sunt enim res quoque, ne tu verba solum putas; de Fin. II, 7, 20. — Illud quoque erit nobis curae, ut Cratippus una cum eo sit; ne putas, in Asia feriatum illum ab iis studiis, in quae tua cohortatione incitatur, futurum; Fam. XII, 16, 2. — Haec inter coenam Tironi dictavi, ne mirere alia manu esse; Q. Fr. III, 1, 19. — Vitia, mehercule, Cn. Plancii res eae, de quibus dixi, tegere potuerunt; ne tu, in

ea vita, de qua iam dicam, tot et tanta adiumenta huic honori fuisse mirere; C. p. Planc. II, 27; cf. Verr. II, III, 81, 188; III, 23, 52; 29, 67; 66, 148; Cat. M. 16, 55.

Ad vim deinde ipsam ac sententiam eorum, quae continentur enunciato primo si acrius velis animos audientium attendi, alia, quae et ipsa potueris in medium proferre, recusata significans, locus est utriusque in simili genere particulae: Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster Publius; Att. II, 7, 3. — Nam, ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortasse nonnihil, utilitatis certe nihil habebit; C. de Off. III, 33, 120. — Qui ut sint, quod fieri posse video, pudici; solliciti tamen et anxii sunt; Tusc. III, 33, 70. — Nec porro malum, quo aut oppressus iaceas, aut, ne opprimare, mente vix constes; C. Tusc. III, 17, 39. — Quare ne sit sane summum malum dolor; malum certe est; ib. II, 5, 14.¹⁾

Nec dictionis vis ac temperatio qualis sit, si quis, ipsi dictioni ac singulis fere vocibus veniam vel petens vel vindicans, studiosius velit attendi, respuitur eadem illa sententiarum copulandarum ratio. — Itaque ut eandem nos modestiam appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia earum rerum, quae agentur aut dicentur, loco suo collocandarum; C. de Off. I, 40, 142. — Cognitionis autem tres modi, conjectura, definitio, et, ut ita dicam, consecutio; de Or. III, 29, 113. — Etiamne hoc affirmare potes, Lueulle, esse aliquam vim, quae finxerit, vel, ut tuo verbo utar, quae fabricata sit, hominem? Acad. II, 27, 87. — Sed quod in illo mihi usu saepe venit, idem modo, cum te audirem, accidebat, ut moleste ferrem, tantum ingenium — in tam leves, ne dicam in tam ineptas sententias incidisse; de N. D. I, 21, 59.

Cursum denique disputationis sive flexionam ac declinationum varietate, sive spatiorum quadam quasi mensura si quis se quoquo modo temperare velit significare, excusationem quidem saepe quaerens cursus repente vel conversi vel repressi, earrundem particularum in illo genere usum esse longe frequentissimum satis constat. Sed ut aliud ex alio, mihi non est dubium, quin quod Graeci *νασῆμον*, nos officium; Att. XVI, 14, 3. — Sed ut ad rem; scripsi ad quaestores urbanos de Quinti fratris negotio; Att. II, 6, 2. — Sed ut ad prima illa redeam, nihil ego illa impudentius, astutius, lentius vidi; Att. I, 12, 1. — Sol Phaethonti filio, ut redeamus ad fabulas, facturum se esse dixit, quidquid optasset; C. de Off. III, 25, 94. — Atque ut omittam Graeciam — ; in hac ipsa civitate profecto nulla unquam vehementius, quam eloquentiae studia viguerunt; C. de Or. I, 4, 13. — Sortes restant et Chaldae; ut ad vates veniamus et ad somnia; C. de Div. II, 40, 84. — Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra curiamque meditere, quid esse potest in *otio* aut iucundius aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis? C. de

¹⁾ Ut et ne particulae quomodo concedendi nationem induerint, ex illis ipsis locis cernitur.

Or. I, 8, 32. — **M** Manilius patrum nostrorum memoria, ne semper Curios et Luscinos loquamur, pauper tandem fuit; **C. Parad. VI, 50.** — Nam ut ea breviter, quae post tuum discessum acta sunt, colligam; iam exclames, necesse est, res Romanas diutius stare non posse; **Att. I, 18, 2.** — Ac ne plura complectar —, bene laudata, virtus voluptatis aditus intercludat, necesse est; **C. de Fin. II, 35, 118.** — Ne diutius vos teneam, iudices, societas coitur; **C. p. Sext. Rosc. Am. 7, 20.** — Sed ne plura, — Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem; **Fam. XIII, 1, 5.**

Externarum vero quodam rerum momento inversus sermonis tenor similiter notatur his locis: *Nos vero volumus*, inquam, *ut pro Attico etiam respondeam*; **C. Ac. I, 8, 33.** — Feceris, ut etiam pro his dicam, si de republica quod sentias, explicaris, *nobis gratum omnibus*; **C. de Rep. I, 21.** — De me autem, ut iam cum utroque loquar, sic habetote; **C. Lael. 2, 10.**

Facere denique non possum, quin paucis certe attingam illas sententias, quae quum coniunctivum ipsum modum atque interdum indicativum ea vi ac potestate positum exhibeant, quae particularum accessione soleat accuratius circumscribi, quasi respondentibus aliis sententiis non facile careant. Quae enunciatorum complexiones, paullo illae quidem laxiores, si eandem ac supra quam perlustravimus, breviloquentiae licentiam sequantur, nemo dubitare potest, quin possint ac debeant hoc loco commemorari. Sunt vero eius generis haec: Verum sit sane, ut vultis, deus effigies hominis et imago; quod eius est domicilium? quae sedes? qui locus? quae deinde actio vitae? quibus rebus, id quod vultis, beatus est? **C. de N. D. I, 37, 103.** — Sit igitur aliquis, qui nihil mali habeat, nullum a fortuna vulnus acceperit: Metellus ille honoratis quattuor filii; at quinquaginta Priamus —; in utroque eandem habuit fortuna potestatem, sed usa in altero est; **C. Tusc. I, 35, 85.** — Ominis etiam causa absit **C. Flaminii** memoria; tamen ille consul demum et in provincia et ad exercitum coepit furere; ¹⁾ **Liv. XXII, 39, 6.** — Fac audisse statim. Quae res cum nocte una tantum itineris contendere coegit? **C. p. S. Rosc. Am. 34, 97.** ²⁾ — Quaeris a me, quid ego Catilinam metuam: Nihil, et curavi, ne quis metueret; sed copias illius — dico esse metuendas; **C. Or. pr. L. Mur. 37, 79.** — Quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc homine delectemur. Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur et aures conficio defessae conquiescant; **C. p. Arch. p. 6, 12.** — Me reprehendis, quod idem defendam, quod lege punierim. Punivi ambitum, non innocentiam; ambitum vero ipsum vel tecum accusabo, si voles; **C. p. L. Mur. 32, 67.** — Heracleaene esse tum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate et religione et fide, **M. Lucullus**, qui se non opinari, sed scire, non audiyisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse dicit; **C. p. Arch.**

¹⁾ Fabri recte ad h. I.: Der vollständig ausgedrückte Gedanke würde etwa sein: Doch muss ich wenigstens so viel von ihm bemerken. Cf. **C. de Fin. V, 20, 55**, qui locus supra est commemoratus.

²⁾ Cf. **C. de Or. II, 55, 225 et 226.**

p. 4, 8. — Non curat singulos homines. Non mirum; ne civitates quidem. Non eas? Ne nationes quidem et gentes; C. de N. D. III, 39, 92 et 93. — Meum fuit cum causa accedere ad accusandum. Quae causa fuit iustior, quam a tam illustri provincia defensorem constitui et deligi? C. Verr. II, I, 8, 21. — Horum vero similia quum praeserit in orationibus, quarum concitation solet esse omnis dictio, plurima reperirentur, quorum aliqua certe pars explicacione egeret accuratiore, eorum tamen me finibus, quae attuli, continere totamque hanc disputationem ita etiam concludere debui, ut ea me spe consolarer fore, ut magis otiose aliquando, si qua nunc attingenda tantum fuissent, ea quoque persequi liceret.